

41911

/ Admodum Reverende Domine, ac veluti frater. Perlegi elegantissimas litteras tuas, et egregia carmina, quae in meae humilitatis laudem scribere voluisti. Amo benevolentiam, nec te mihi adulari, aut me fallere voluisse certo scio. Interim tamen imperfectum meum
5 novi, meque laudibus tuis longè inferiorem esse non dubito. Ora Deum, ut aliquando sim, quem esse me credidisti. Quod vero ad indulgentias sacro isti loco concessas attinet; consului congregationem cardinalium super concilii Tridentini interpretatione à Summo Pontifice institutam, neque aliud ab ea referre potui, nisi indulgentias illas revocatas esse, quae à quaestoribus circumferri solebant, vel quae manus adiutrices requirunt. Et quoniam latet
10 nos, an indulgentiae isti Venerabili Xenodochio Pontificum liberalitate donatae, sint huius generis; non facile possumus definire, sintne auctoritate concilii revocatae, an in suo robore perseverent.
15 Neque vero potest Summus Pontifex approbare, quae praedecessores concesserunt, nisi videat ipsas bullas, vel brevvia, quibus concessa privilegia continentur. Quare necessarium erit, ut exempla bullarum, aut brevium ad nos mittas, ex quibus diudicare possimus, an sint revocata, et an confirmari expediat: vel certè si forte bullae et brevvia perierint; mittas ad nos distinctè, quas indulgentias, et quas facultates circa absolutiones à Summo Pontifice obtinere cuperes: et ego apud eundem Pontificem fideliter intercedam, ut omnia, vel saltem aliqua concedantur. Vale Reverende Domine mei memor in sanctis precibus tuis. - Romae die 7 Februar. 1610.